

3159

C O D I C E S

3160

sum, in quo sequentia calamo notata: Ad 22. April. 1581. *omnes ecclesiae bruxellenses prophanatae. Pastores concionatores et aliqui ciues capiuntur expelluntur.* Ad 21. Maji. 1581. *in omnibus ecclesiis fit concio doctrinae Joannis Calvini.* Ad 1. Jul. 1579. *Parochia de capella prophanata.* Ad hanc D. *Aegidii Capellam* pertinuit, ut videtur, *Bartholomaeus Capellanus* Possessor olim *Codicis*, quod e frontis inscriptione colligitur. *Calendarium* excipiunt *Orationes siue Collectae secundum ordinem Calendarij De Sanctis* calamo scriptae, uti et *Preces* variae maxime ante et post *Missam* dicendae. Succedit excusa *Psalmodia de Tempore cum Communi de SS. et Officio Defunctorum.* Demum manu exaratae *Antiphonae Capitula et collectae dicenda per totum annum ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam de Tempore.* Omnia mire coagmentata.

DCCCCXX.

851 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. 224. 8. minutius, fed, quam potest, nitidissime exaratus, aureisque Titulorum literis speciosus, inscribitur: *Commemorationes Sanctorum iuxta Calendarium Romanum simul cum precationibus piis.* Inscriptio haec exhibetur in eleganter picturato frontispicio, cui imminet Scutum gentilitium *Andreae Card. ab Austria Ferdinandi Archiducis*, qui a Patre *Ferdinando I. Imp. Tyrolim* obtinuerat, et *Philippinae Velse-*

*rae Patritiae Augustanae filii*, nati 1558. et 1600. *Romae* defuncti, ut adeo praefens Pietatis exercitium in ejus usus congestum fuerit. Itaque et utriusque Parentis Icon ab artificioso penicillo adumbrata praecedit, Patris quidem virtutum et artium virilium Adtributis stipata, Matris autem circumdata *Prudentiae, Iustitiae, Orationis et Eleemosynae* Insignibus, et adstituto flore, cujus apici Pileus cardinalitius incumbit. Eodem eleganti Picturae genere, mire variato, Paginae omnes usque ad *Julii* mensis medium cinguntur, relictis deinceps interrupti laboris vestigiis. Supra dictis *Sanctorum Commemorationibus*, quae ex Officio Sacerdotali depromptae sunt, passim aliae piaae *Precationes* interseruntur, et sub finem *Commemorationes* etiam *Domini-carum* per annum accedunt.

DCCCCXXI.

Codex membraneus lat. Sec. 967 XVI. Folior. nunc 122. 8. eleganter et luculente exaratus, literis initiorum et marginibus quibusdam partim florum et animalium, partim illo ornatu, quem Arabicum (*Arabesques*) vocant, visendus, additis Iconibus grandioribus speciosis X. in quibus Pictor quaedam *Alb. Dureri*, et *M. Antonii* imitatus est, diversa continet Pietatis Exercitia hoc quidem ordine: Officium de B. V. *Maria*, *Psalms de Poenitentia* cum *Litaniis* OO. SS. Officium pro Defunctis, *Orationes* que tempore